

ratio; quis enim, saluis naturae legibus, attingere possit verba aliorum integra, inuitis auctoribus, <sup>17</sup> praesertim quum talis oratio vix possit ita mutari, quin simul sententia eius mutetur, quum ingeniorum, animorumque, dissimilitudo easdem cogitationes, eadem verba, nullo parere modo possit? sed etiam ipsi linguae vernaculae ita obest, vt posteri ignoraturi sint, quae fuerit eius, saeculo quoque, forma, et facies, quae pulchritudo, et venustas, quae vbertas, et copia. Poëtae quidem recentes vtriusque linguae ab ista importuna vanitate, et impudenti, stultaque, superbia, alienissimi fuere, ita, vt, si viderent, carmina antiquorum poëtarum non intellegi, ob mutatum sermonis genus, ab omnibus posse, ipsi noua eiusdem generis poëmata pangere instituerent oratione sui quisque saeculi, antiqua carmina intacta relinquerent, quo videret posteritas, quae fuisset aetate quaque Graeci, Latiniue, sermonis facies. <sup>18</sup> Huius igitur exempli barbarorum hominum grauitatem excellentem ita sequi, imitariue, debebant nostrae aetatis scriptores hymnorum Christiani, vt noua huius generis carmina conderent, antiqua integra, et intacta, sinerent. Neque vero grammatici, et critici, veteres fuere ita insolentes, et temerarii, vt e carminibus poëtarum Graecorum glossas Atticas, Ionicas, Doricas, eiicerent, earumque in locum verba vulgaria substituerent. Certe versiculi Anacreontis

*sumas, omnes tamen obtestatum, vt suum sibi libellum liceat habere saluum. Tu vero, mihi crede, si hymnos Lutheri tanta erga deum reuerentia, tantaque in Christum fide, quam creberrime cecineris, quantà scripti sunt illi, hac quidem religione animi apud deum inibi gratiam longe maiorem, quam*

*omni floris rhythmi, vlliusque poëtici, cultu.*

<sup>18.</sup> Cic. Brut. 15. Illius autem aetatis qui sermo fuerit, ex Naenianis scriptis intellegi potest. Quintil. 1, 6. 40. Saliorum carmina, vix sacerdotibus suis satis intellecta. Sed illa mutari vetat religio, et consecratis vtendum est.

b